HVMANA LINGVA
OCVLIS MANIBVS CORDIQVE PRÆLATA

ORATIO
DE S. SPIRITVS ADVENTV


AD SANCTISS. D. N.

INNOCENTIVM X.
PONT. OPT. MAX.

HABITA

IN SACELLO PONTIFICVM
QVIRINALI

A FERDINANDO NAZARIO NOVARIENSI
Sem. Rom. Conuict.






EMINENTISS.mo AC REVERENDISS.mo

PRINCIPI IO. IACOBO PANZIROLO S. R. E. CARD. AMPLISSIMO.

FERDINANDVS NAZARIVS F.






RATIO, qua linguas, Diuinitatis vehicula dilaudaui, iure patrocinium sibi vindicat Tuum PRINCEPS EMINENTISS. *Cuia enim potius interest linguæ præconio fauere, quam Tua, qui Romano Pontifici, cuius lingua, Sancti Spiritus calamus dicitur, in amplissimo quod geris munere, lingua & calamus es, eo ignitæ linguæ similior, quòd ardes in purpura. Diu exercitam in magnis Ecclesiæ muneribus linguam Tuam summa*

æquitatis incorruptæ arbitram, in legationibus ad maximos Reges flexanimam, & restituendo Ecclesiæ iure efficacem: in bellis componendis fœderum interpretem, & sequestram pacis Accedit, quòd lingua Tibi & oratio, non solùm in pectore nascitur, vt aiunt, verùm etiam consentit cum pectore. Quamuis enim, vetus in Curia, & in Regia teneas aulicas artes, eas tamen exercere animi magnitudo non sinit. Hinc fit, vt veritatem liberè loquaris vel cum offensionum periculo, ideoque cum gloria; quoniam prudentiam nimis taciturnam timemus, veridicæ liberati amorem debemus & fidem. Neque à lingua, & corde Tuæ dissentiunt manus. Quin præter sæculi morem, verborũ parcus, factis es largior. Sed beneficia non fœneras, adeoque gratus esse appetis, vt vel à pueritia memoriam replices temporum, quo munus aliquod inuenias, quod rependas. Testem habeo Præceptoris mei Magistrum, qui Te ad eloquentiam informauit ab hinc annis amplius quadraginta, in quem munificentiam contulisti non redituram. Vale, Tuoque me patrocinio foue in ijs desudantem spatijs, quæ adhuc adolescentiam Tuam recordantur eminentem Rhetoricæ ac philosophiæ studijs, qualis in omni actu vitæ futurus eras, documenta præbentem.

ORATIO.



VID causæ fuisse dicamus, B. P. quòd Diuinus Spiritus è Cælo descendens, vt genus humanum non tam luce perfunderet, quàm muneribus coronaret, ignearum speciem, formamque linguarum potissimùm adamarit. Nam si Deus charitas dicitur, & beatus hic Spiritus amantium diuinorum est ardor, cùr illi oculorum flamma non placuit, qui dicuntur amoris esse vel duces, vel parentes, vel nutritores? Si Cælestis prodigiorum effector, idcirco delabitur, vt vetera Regna subuertens, nouum Ecclesiæ moliatur imperium; cur linguis inani sono strepentibus, non anteponit solidorum operum effectrices manus, munerum administras, fœderum pignora, instrumenta triumphorum? Cor veritatis est regia: cur illud linguæ posthabuit Spiritus veritatis? Nam veritas à lingua sæpe peregrinatur, & exulat, in corde habitat. quod si, vt optabat ille per fenestrã humanos visus admitteret, tot simulationum falsa non timeremus. Placet itaque paucis Diuini rationes explicare consilij: quamuis enim illa Maiestas, non ex necessitate quod optimum, semper quod bonum est faciat, ne immensitati potentiæ suæ limes

Io. 14.

Io. 14.

notis distincta collucent, vt mens humana non capiat, quomodo ijs quæ bona fecit, facere meliora potuerit.

Age verò, nec inauditum est, nec rarum sacris in litteris, quod Diuinus Spiritus sub oculorum velo maiestatem cælauerit ne, an prodiderit suam? & qui lucem habi-
1.Tim.6 tat pro latibulo, pro amictu oculos induerit fulgurantes. Nam vatum vnus virgam vigilantem intueri videba-
Ier.1. tur, cum Sancti Spiritus Numen, & prouidentiam cogitaret: alter verò dum septem oculos in lapide cælatos ani-
Zac.3. maduertit, eiusdem Spiritus habitantis in Christo septi-
Apoc.4. formem gratiam adorauit. Quid animalia illa in circuitu, & intus oculis plena? Non ne quatuor Euangelij præcones Diuini Spiritus insignitos muneribus significabant? cur ergo Pater luminum, & pupilla oculorum Diuinorum luminibus, oculisque non im-
Eccli 23 pluit? vt per oculos suos, qui lucidiores sunt sole, videat omnia, & videatur ab omnibus? vt Ecclesiæ suæ corpus
Matth.6 lucidum reddat totus oculeus, ac simplex Deus? vt vicem
Cant. 4. amabilem sponsæ referat, quæ se vno oculorum vulnerauerat, innumeris in oculis præbens alimenta ardoris æ-
Isa.4. terni? quod si iucundum est, vt ait Poeta nobilis, viri be-
Eurip. neuoli oculos intueri; quid esset intueri tot oculos peramantis Dei?

Sed manus, linguæ, oculisque non cedit. Nam si Dei manus, hoc est Spiritus sanctus in tabulis lapideis legem
Exo 24. timoris incidit, quare non idem Spiritus conuersus in manus, in tabulis cordis carnalibus legem amoris in-
2.Cor.3 scribit? Vespasiano nondum Augusto mensæ accumbenti, humana manus oblata fuit omen Imperij. Quàm benè depluentes è Celo manus futuram Ecclesiæ poten-

quemadmodum manus ornamentum dicitur corporis, & propugnaculum, quod illud veſtit, & comit, defenditac protegit, pugnat in hoſtem, vulnerat, triumphat: ita Diuinus Spiritus Eccleſiæ ſuæ eſt firmamentum, & decus, vmbraculum quieſcentis, clypeus pugnantis, & gladius, corona triumphantis. Iam verò cum Eccleſiæ Sanctiſſimi vatis ore promiſerit Deus: Spiritum nouum tribuam, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum; cur hodierna luce cordis figuram non præoptauit, vt cumulatiùs oraculi fidem impleret? cum præſertim Eccleſiæ cor dicatur Spiritus Sanctus, à quo in oculos, manus, linguas fidelium, omnis gratiæ vita procedit, vt recta videant, faciant, proloquantur. *Ezech. 11.* *Prou. 4.*

Verùm in contentione tam ſplendida, victoriam reportatis beatiſſimæ linguæ, quoniam ſolæ, oculi, manus, & cordis prerogatiuas ampliſſimas poſsidetis. Oculi, fateor, animorum ſunt indices; num certiores, quàm linguæ per voces, non per nutus corda pandentes? Et linguæ ignitæ, hoc eſt linguæ amantium, quæ mentiri neſciæ à corde diſcordare non poſsunt. Teſtes coniurationes in capita Regum temere ab amatoribus indicatæ. Teſtes Samſonis voces in caput ſuum veracis, cum fortiſſimi Nazaræi anima ex amore defeciſſet. Nam faciliùs flammam ardentem os opprimat, quam ſecretum teneat lingua amantis. Adeò in hoc vino veritas. Sed quid profana commemoro, quando ipſe Spiritus ſanctus qui ſcrutatur profunda Dei, eiuſque conſiliarius dicitur, arcana Diuinitatis per hodiernas linguas cogente amoris tormento, reuelauit. Nec mirum. Qui enim nobis Filium, qui Spiritum ſuum, ſeque cum iis vna Diuinitate *Iud. 16.* *1. Cor. 2.* *Rom. 8.*

ſum arcanum aliquod pectoris reſeruaret? An fortaſſe potentiam adumbratam in manibus, deſideramus in linguis? Deſideraremus, credo, niſi linguæ Dei eſſent, cui loqui eſt idem, ac facere. Semel intra ſe locutus eſt, & ad-
Pſ.61. Tob.33. huc loquitur Deus verbum illud quod nemo aud t, niſi qui percipit, nemo percipit, niſi qui loquitur. Sed ò linguæ ineffabilis potentiam! Dei vox vna peperit Deum: ex æquo omnipotentem, beatum, in circumſcriptum, æter-
Hebr.1. num. Extra ſe verò multifariam locutum Diuinum Nu-
Gen.1. men Mundum initio cum diceret, procreauit. Stellæ vocatæ quæ nullæ erãt, audierunt tamen, & dixerunt: ad-
Baruc.3 ſumus. Hodie pariter linguis ad orbis vſque terræ fines ſonantibus excitata viuis è lapidibus Eccleſia conſurgit. Hodie linguæ ſono, non ſtylo manus, in corde imprimitur lex amoris. Quid? quod fabricata linguis Eccleſia iiſdem nititur, & conſeruatur? An non Sacramenta omnia vocibus animantur? Linguâ Sacerdotum Deus deuocatur in terras. Lingua Romani Pontificis humanum genus ligatur, & ſoluitur, Cælum clauditur, & aperitur. Fuit
Gen.11. olim terra labij vnius, mox diuiſa per linguas, rurſus linguis congregantibus, factum eſt credentium cor vnum,
Act.4. & anima vna. Vtinam perpetua ſint iſta miracula, vt ſemper vnius oris, & cordis Eccleſiæ ſint Principes. Vtinam linguæ noſtræ Spiritui ſancto, oculi, manus, corda linguæ conſentiant. Ne inſtar Hiſtrionis in ſcena, nos delinquamus in vita: neque vt ille peccauit in artem ſcenæ, dum Cœlum loquens, manu, atque oculis terram ſpectauit: ita nos peccemus in artem vitæ, quam Spiritus Sanctus docuit, ſi Cæleſtia loquamur, terrena, & praua faciamus.